

semper eodem modo se habentium, necessariorum, Aristoteli universalium ex singularibus fluxibilibus collectorum, non necessariorum, non semper eodem modo se habentium. Atque haec secunda et maxima est huius atque illius dialectices differentia.

5 Addamus et tertiam. Aristoteles scientiae instrumentum demonstrationem facit, Plato definitionem: uter melius, verum hinc colligatur. Qualem Aristoteles demonstrationem descripsit, nullo in genere rerum reperiemus. Non in primis illis entibus separatis, quae vel nullam habent causam, vel si habent ullam,
10 ea non est per se ita nota, ut demonstrationis principium esse possit. Non in naturalibus, quae non necessaria entia sunt, sed ut plurimum evenientia nec universalialia nec per se nota. Non in mathematicis, quae vel in anima vel extra etiam ponantur totis Euclideis, totis Pergaeis^{vii}, Archimedicis, Ptolemaicis, aliorum
15 mathematicorum libris, iis, quas ipse requirit, conditionibus nulla reperietur. Minus multo in rebus humanis, quae nullam secum habent necessitatem. Sequitur ex hisce necessario nullam posse construi demonstrationem: atque inde nullam scientiam, si modo sola demonstratio, uti Peripateticis fere omnibus placitum est, scientiam constituat. Atque hic erit fructus duorum
20 Analyticorum operosissimo labore nobis traditorum: ut post infinitos labores, post inextricabiles labyrinthos, nullam scientiam nobis comparemus.

Plato definitione cuiusque rei scientiam parari multis locis
25 asserit, ad eam inveniendam aptissimum instrumentum divisionem esse asseverat. Aristoteles hanc subsannat, multo opere labefactare nititur aperte, ultimo Analytico illam per insidias enervat. Apparet quidem ille non parvam de definitione existimationem facere, cum eam vel principium demonstrationis vel demonstrationem situ differentem vel demonstrationis conclusionem facit.
30 At cum tam magnifice de ea loquitur, nullam scientiam nobis ea parari dicit, quia nulla demonstratio reperiatur.

^{vii} Corr. ex Sergaeis